

de bello Turcico rumoribus, Roma ad Senatum plenis humanitatis atque officii literis, opem quibuscumque rebus posset, Reipublicæ detulisset; Patres, qui ante Angelum Guicciardinum, delatum illi a Pontifice *Magni Hetruriæ Ducis* titulum nunciantem, torque aureo donaverant, sed a perscribendis literis abstinuerant; recenti benevolentia argumento permoti, atque ut Pio gratificarentur, literas, quibus *Magni Hetruriæ Ducis* titulus præponebatur, ad Cosmum perferendas Romam miserant. Id cum Cæsar persensisset, parum suæ existimationi prospectum, Cosmum ipsius rationibus haud parum accessisse, sibi suasurum, acerbè conquerebatur. Cum magnum vel ad societatem, vel ad bellum momentum in Cæsare situm esse intelligerent, nihil, quod ad eum sibi conciliandum spectaret, prætermittendum rati, literas Romam delatas remitti iussere. Inde perfusus summa voluptate Cæsar, maximas Senatui gratias egit. Verum ea res ita illius animo hæserat, ut priori obnunciatione non contentus, legatos, qui denuo idem Pontifici denunciarent, Romam mitteret. Pontifex contra, ut ab se acta legitime tueretur, rationes, quibus adductus novis Cosmum titulis ornaverant, scriptis vulgari, ac Regibus, & Principibus significari mandavit, eorum auxilia, atque opem enixe admodum flagitans. Cum igitur in dies ingentis incendii semina alerentur, brevi in reipublicæ christianæ perniciem eruptura, Senatus Pium hortabatur, ni stirpitus tanti mali radices excindi possent, cunctatione saltem adhibita, præsentibus rebus prospiceret, negotium in aliud tempus differet, ne præclara foederis incundi jacta initia everterentur; ne hostes non tam propria virtute, ac viribus, quam nostris contentionibus aucti, audacius insurgerent, divulsamque christianam rempublicam pessumdarent. Tandem Senatus rationibus permotus, precibusque defatigatus, pristino animi ardore paulatim restincto, Pontifex mitius agere cœpit, legatorumque obnunciationi, qua nihil de Cæsaribus in Summos Pontifices observantia imminutum fuisse significaverant, pacate admodum, ac benigne respondit; reque accuratius perpensa, ne scripto quidquam enunciaretur, cavet; discedentibusque legatis, sensim irarum motu compresso, eadem utrinque pro juribus suis tuendis consilia, eadem studia permansere.

Dum

1570

*Veneri dis-*  
*sidia inter*  
*Pontificem*  
*& Cæsare*  
*componere*  
*nituntur.*